

Pio candido benevoloque d.
lectori, cujusvis eminentiæ ,
status, dignitatis...

Petraeus, Æschillus,

82 Aa 16/3



National Library
of Sweden

P I O C A N D I D O B E N E V O L O Q U E

D. L E C T O R I, cujusvis eminentiæ, status, dignitatis ac gradus, Gratiam & pacem
D E I per Dominum nostrum Jesum Christum in Spiritu sancto.

Ruribus Sanctorum, quorum tamen nullum Ecclesia nostra, ut mediatorem & intercessorem inter Deum & nos invocat, Festis mensem Iunium, quem Hebræi SIVAN, Græci δεύτιον vocant, honoratum, fasti nostri ostendunt. Inter quæ, festum præcellit præcursoris Christi, S. Johannis Baptista, quod excipit D. Petri & Pauli, qui dies, meus, Anno 1594 natalis. Præterea duorum sanctorum virorum, quorum in patriam nostram magna sunt merita, festa celebrabat Ecclesia, ante optatam repurgationem doctrinæ per Electum organum D. Lutherum, & editam exhibitamque Augustanam Confessionem, etiam hujus mensis 25 die, Anno 1530. Sexto Anno post coronationem Gustavi I. Holmiæ peractam, etiam hujus mensis die 24, S. Æschilli memoriam recoluit Svecia nostra 22, hujus mensis die; Canticis tunc usitatis. Qualia erant: Æschillus flos; præsul, pater pietatis, clericorum speculum, doctor veritatis. Gaude felix Svecia, lauda Salvatorem, quia de Britannia tibi dat Pastorem. O Proles Britannia, recta via morum, præsul Sudermannia, tutor Orphanorum, te collaudat hodie, digne gens Svecorum, juxta vota omnium, præsul sublimatus, in virum alium mutatus. Extinxerunt impii lumen tam præclarum, quia lucem, filii spernant tenebrarum. De S. Henrico hac usitata erant cantica: Gaude cætus fidelium D E I beneficium, latis extollens canticis, qui donavit Finlandiæ, ex visceribus misericordiæ, S. Henricum Martyrem. Ornamentis decoratus virtutum, vir inclytus, Upsaliensis præsulatus, plebem rexit primitus. S. Ericum Regem comitans præsul, Finlandiam adiit, illic militans bonam Christi militiam, Sanctus, cujusdam impii redarguit sevitiæ, ut reus homicidii, subiret poenitentiam. Impoenitens malitiæ, vir sanguinum, Ecclesiæ despecti disciplinâ, in ministrum justitiæ furit, & rabie occidit. Biretrum patris incluti, occisor suo capiti, protervus imponit. Quod dum vellet amovere, carnes illi cohesere. Annulum & digitum, longè diu post obitum, insignis viri D E I, ostendit avicula, sub particula, cujusdam glaciei. Dum sacra reliquia, jacuerunt in glacie, calor non nocet eis. Hujus digiti & annuli imagine, ut insigni aliquo & in S. viri memoriam, in suo sigillo Consistorium Aboense Ecclesiasticum utitur. Quia autem S. Henricus & alii exteri partim huc in Sveciam & Finlandiam vocati, partim pio zelo Sponte adventantes, demum circa annum Christi Octingentesimum, Nongentesimum, Millesimum, Evangelium prædicasse dicuntur. Minimè statuendum quod illi primò inchoaverint Evangelij prædicationem in his aquilonaribus regnis, sed quod renovaverint & repurgaverint Evangelij doctrinam, vel eam extinctâ restauraverint. Credendum n. Apostoli testimonio de conversione omnium gentium ipsius tempore factâ Col. 1. v. 6. τὸ εὐαγγέλιον, τὸ παρόντος εἰς ὑμᾶς, καθὼς καὶ ἐν παντί τῷ κόσμῳ: καὶ ἐς μαρτυροῦσθε μενον. Et v. 23. τὸ εὐαγγέλιον ἠγάπησατε, τὸ κηρυχθέντος ἐν πίστει τῇ ἦλθει τῇ ἐπὶ τὸν ἔθρονόν, ἢ ἐγγερόμην ἐγὼ παῦλος διάκονος.

Ceterum sancti Henrici memoriam recolit Finlandia, nundinis, in ejus diem, anniversariis & solennibus, Hyeme & æstate, ordinatis. Quin & anniversarias Synodos habitas fuisse in hac diocesi, circa festum Henrici, palam est. Ex qua consuetudine Synodo hujus anni, præscriptus est dies 16. Junii, cum biduo sequente. Quo quidem die, 16. munitus mihi concreditum Episcopi, juxta Reverendi hujus dioceseos cleri unanime desiderium, & Sereniss. R. M. Clementissimum consensum & approbationem, oratione brevi in me juxta morem receptum & quidem horâ octavâ matutinâ, in auditorio majori, publicè, utinam auspiciò, derivabo. Cujuscunque itaque ordinis & dignitatis fuerint, in civitate hac degentes, officiosè & amantèr ad actum hunc introductionis, suâ presentia cohonestandum, & ad Preces, pro felici in hoc officio successu, fundendas, ut in omnibus glorificetur DEUS, ut omnes in uno maneamus Spiritu, ac unanimes in Evangelij collaboremus fide, concordēs, unum sentientes, armati scuto fidei, præcincti lumbos in veritate, Unum solum bellum noscentes, adversum Diabolum, & eos qui sub illo militant. Non timeamus eos, qui corpus occidere possunt, animam vero nequaquam comprehendere valent, sed animæ & corporis Dominum timeamus, bonum servantes depositum, quod à patribus nostris suscepimus, adorantes patrem & filium & spiritum sanctum, in filio patrem, in spiritu filium cognoscentes, quorum nomine baptizati sumus, invitantur. De venerabilis cleri benevolò affectu, nullum censetur esse dubium. Omnes verò divina protectioni unicè commendantur. Aboæ, 15. Junij. ANNO 1653.

Æschillus Petrus E. A.



57.6 //



1653